



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 145. Apostosiæ Rationes ab ipso Marco Antonio allegatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

postea abjecte procidens in genua ad pedes Joannis King Pseudo - Episcopi ipsum, *quid peteret*, interroganti respondit, *desidero abjurare Romana Sacra, tanquam Babylonica, & recipi in communionem purissimæ Ecclesiæ Anglicanæ*, quibus dictis Marcus mitram Episcopalem capiti detrahens, habitum illum projecit, aliumque Præconum more induit.

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

§. CXLV.

Apostasiæ Rationes ab ipso Marco Antonio allegatæ.

Hujus Apostatæ fuga sero Romæ innotuit, qua tamen comperta Pontifex nil intentatum reliquit, ut vestigia fugæ legerentur, nihil tamen præter incertos rumores deprehensum, tandem duæ ab ipso Spalateni exaratæ advenerunt literæ, altera ad Pontificem, altera ad Cardinales, in quibus apostasiæ suæ rationes afferebat, quæ tamen re ipsa haud aliæ erant, quam quæ omnibus ferme ejusmodi Desertoribus communes hucusque fuere, nimirum libido, atque ambitio. Ipse vero in quodam scripto publici juris facto sequentes allegabat rationes, asserens, quod per integrum triennium nec hæreticorum libris seductus, nec humanæ dignitatis spe sollicitatus, suum spiritum

Merc. Gal-
lob. l. 6.
Jæger. pag.
199.

Hist. Eccles. Tom. LV. Nu tum

Sæc. XVII. tum probasset, eique arrepti consilii so-
 A. C. 1616. lum sancti Patres, præter internas mo-
 tiones, auctores exstitissent: Igniculos
 interni spiritus subinde senserit, sed per-
 petuo illis restiterit, dubitare tamen de
 veritate suæ Religionis cœperit, eo quod
 Romani hæreticorum librorum lectio-
 nem Catholicis tam severe interdican-
 & promotis ad Theologiæ gradus imo
 & *Episcopatum* horum librorum copiam
 denegent (*) & Professores circa hære-
 ticorum dicta sibi fidem adhiberi petant,
 eorum vero discipulis, quæ audierunt,
 in illorum libris inspiciendi facultatem
 non concedant. Mores præterea Ro-
 manæ Curie abhorruerit (**) in con-
 cionatoribus Catholicis turpem Scriptu-
 rarum abusum deprehenderit, ac prop-
 terea omissis hisce turbidis rivulis ad S.
 Patrum fontes accesserit, ex illis autem
 observavit, in Theoricis dicta Patrum
 communi doctrinæ vehementer adver-
 sari, vel perperam explicata nec fideli-
 ter adducta fuisse, Ecclesiasticæ vero
 disciplinæ normam a veteri plurimum
 dissen-

(*) Quam proterve Marcus hac in re men-
 titus fuerit, cuilibet Catholico notum est.

(**) Qui tamen suis non modo similes,
 sed adhuc peiores Romæ erant, uti Trajanus
 Bocalinus, cui Marcus intima familiaritate jū-
 ctus erat, testatur a me S. priori allegatus.

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

diffentire : dein occasione Veneti interditi, consultis S. Canonibus, Conciliis, Patribus, & prisca Ecclesiæ consuetudine, doctrinam Protestantium a prisca Ecclesiæ doctrina vel nihil vel parum admodum aberrare cognoverit, videritque Romæ innumeros fidei articulos quotidie fidelibus obtrudi, Concilia sacra opprimi, universalis Ecclesiæ nomine Romanam Curiam intelligi, scandala per plurimas Romanæ Curiae novitates, erroresque in Ecclesiam invehi, Episcopos non vere Episcopos, sed vix Papæ Vicarios, & Ecclesiam non jam Ecclesiam, sed Rempublicam humanam esse sub Papæ Monarchia mere temporali. Hæc ergo contra carnis suasionem ipsum impulisse ait, ut vehementiorem Divini Spiritus impulsus sequeretur.

Porro Marcus commentitias hæc rationes jam dudum præparatas habuisse fatebatur, quas fusius prosecutus est in sua de *Republica Ecclesiastica* libro, quem pariter jam longo abhinc tempore composuit, eumque *calcographo*, qui in hoc suo itinere ei primus in Germania commodus occurrerit, imprimendum consignare statuit. Cæterum summus Pontifex æque ac Cardinales perlectis hisce literis omnem conatum adhibuere, ut perditam hanc ovem oppositis rationibus,

N n 21

lar-

Sæc. XVII. largisque promissis ad Ecclesiæ finem
 A. C. 1616. revocare valerent: Hunc in finem Borg-
hesius Cardinalis Trajanum Bocalinum
 accersitum rogabat, ut vel ipsemet iter
 in Angliam ad Marcum susciperet, vel
 saltem literas tanquam ejus familiaris
 olim in paucis charus ad illum exara-
 ret, reditumque suaderet, quod etiam
 præstitit Bocalinus datis ad eum literis,
 quamvis furdo fabulam caneret. Por-
 ro rationes, quibus suum transitum ho-
 nestare nitebatur, ipsimet Spalatino
 post sedatum indignationis æstum haud
 validas fuisse visas, ex ipsius reditu elu-
 cet, prout suo loco referemus.

§. CXLVI.

*Bellum inter Hispaniæ Regem &
 Sabaudicæ Ducem instauratum.*

*Ferrer cont.
 Hist. Hisp.
 Merc. Gal-
 lob. tom. II.
 l. 3.*

Frustrata etiam altera pace Astensi in-
 stauratum recrudit bellum inter Hi-
 spaniæ Regem & Sabaudicæ Ducem an-
 no superiori non nihil sopitum. Quippe
 Carolus Emanuel Sabaudicæ Dux datis
 etiam ad supremum Delphinatus Præ-
 torem literis caussabatur, quod Hispa-
 niæ Administri fide non optima condi-
 tionibus utrinque pactis inhærerent, ac
 nondum milites, prout cavissent, di-
 misissent: Negabant id Insubres, & Hi-
 spani, qui vicissim Sabaudis objecta-
 bant